magis ea nos perficit quam que reliqua inueniri possit equiual-
ōdi uirtus ulla. Illa & habitus est celestis in corde &
in anima est pusilla facultas copiarum. Preterea neque
finis paupertatis est ocium illud tuum non fructus sunt ulle
hominum scientiae que a deo profecto sunt. Sed uera pau-
pertas horsum tendit ut illa alia securitate & celi ocio
perfruamur in angelicis tronis. Sed ut aliquando Areophile
ad te conuertar quoniam utrumque hunc alterum mutuum
penne & lingue reddidimus omnia que laute &
ornate dixisti placerent profecto ni fortunam illam
non intellectam ni laxum ocium fuisses amplexus. Sed
ne te ullus error deducat te collige & in his que bre-
uiter edisseram tota mente uersare. Ego indubitata fide
profitendum duco regem nostrum XPVM YESVM eum fu-
isse qui sacro sanguine suo ex inferis euocarit & qui
suis meritis celestia illa subsellia nobis potiunda huius
clarissimi & triumphatissimi ducis nostri uestigia imita-
ti necesse est. Pauperrimum nascentem illum uille tugu-
rium uidebat uitam tenuem & angustam dum uiris exu-
uiis usus est coluit: nudus ex hac uita discessit. &
nos eius exercitus milites decuerit tanti ducis limitem
excolere. Castris continendi sumus illius imperio &
emittende & euocande sunt acies. Si cum eo potiri
nobis est animus illa celi preda illis desideriis opibus
quas nobis moriens comparauit. Affirmat hoc nobis

License: public_domain – Göttingen, Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen, Cod. Ms. Morbio 1 b, 10r – Philippus Ariminensis, Symposium de paupertate (https://fragmentarium.ms/view/page/F-8l46/11343/82232)